

omitti. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 187, Appendix II in fine.)

Q. 331. *Quæ Missa cantatur, si hoc eodem die contingat occurrere diem Depositionis Defuncti, et præsentem corpore Missam de Requiem pro Defuncto celebrari?*

R. Per Decretum 20 Septembris 1687 (n. 1788, antiq. 3149), S. Rituum Congregatio resolvit, in hoc casu, ultra Missam de Commemoratione Fidelium Defunctorum, ubi hæc obligat (quæ obligatio solum Cathedralis et Collegiatis afficit Ecclesias, non alias quæ conventualium Missarum lege minime tenentur), cantandam esse, præsentem corpore, Missam unicam ut in die Obitus seu Depositionis. Aliæ autem Missæ omnes, etiamsi pro Defuncto celebratæ, dicendæ sunt de Commemoratione Fidelium Defunctorum. (Cfr. etiam Decret. 9 Julii 1895, n. 3864, ad 5.)

Et ad dubium: « Quænam Missa de Requie sumenda est in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus, quando in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum occurrit alicujus Defuncti dies depositionis? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Missa erit ut in die obitus. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 6; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 354.)

ARTICULUS III

DE MISSA IN DIE OBITUS SEU DEPOSITIONIS

Q. 332. *Quid intelligitur per diem Obitus seu Depositionis?*

R. Obitus dies ille proprie est quo quis vivere desinit. Depositiō idem plane significat, si *deponere* accipitur pro *demoliri* et *solo aquare*; ita S. Petrus (II, Cap. I, v. 14) dicit: « Certus quod velox est depositio tabernaculi mei. » At, si *deponere* sumatur pro *credere*, *committere fidei* et *diligentiæ alterius*, ita ut dicatur *depositio ipsa cadaveris terræ traditio*, idem non est depositio quod obitus. — Ab Ecclesia tamen dies isti, mortis scilicet ac sepulturæ, in præsentem materia Missæ de *Requiem* confunduntur et pro iisdem accipiuntur; unde

in Collecta orat Sacerdos pro anima « *quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti* », licet Missam celebret in die sepulturæ jamque præterito die obitus; hoc autem, non quia non sunt in casu diversi hi dies, sed quia moraliter censentur idem dies. — Insuper, distinctiva superscriptio hujus secundæ Missæ « *in die Obitus seu Depositionis* » includit non tantum diem quo defunctus obiit, et diem quo corpus cum consuetis precibus terræ mandatur, sed etiam dies intermedios; adeo ut totum spatium quod mortem inter et sepulturam intercedit, reputetur in favorem Defuncti tamquam unus dies. Hinc tamen non est inferendum, singulis diebus in hoc tempore inclusis iterari privilegia pro defuncto in obitu seu depositione concessa: semel enim tantum, seu in uno solum ex præfatis diebus, privilegia concessa sunt.

Porro Missa de *Requiem* quæ hoc temporis spatio pro defuncto celebratur, et cujus regulæ hic jam sunt tradendæ, vocatur **Exsequialis**; estque secunda ex quatuor de Missis de *Requiem*, cum Oratione propria, sicut notatum fuit Q. 325.

Exsequiæ, quæ in Liturgia etiam vocantur **Agendæ Defunctorum**, vel **Funus**, exprimunt non tantum Missam, sed et omnia quæ aguntur præter Missam occasione Depositionis, quæ sunt: Processio ad deferendum corpus ad Ecclesiam, Officium, Absolutio, Sepultura. De his agitur in Tractatu de administratione Sacramentorum.

§ 1. De Missa exsequiali, præsentem corpore defuncti

Q. 333. *Quodnam est Ecclesiæ votum de celebranda Missa præsentem corpore defuncti?*

R. Ecclesia in votis maxime habet, ut **præsentem Defuncti corpore**, Missa, et quidem Missa de *Requiem* pro Defuncto celebretur. Dicit enim Rituale Romanum: « Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit retineatur, ut Missa, præsentem corpore Defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur. » (Tit. VI, Cap. I, n. 4.)

Ideo privilegia quam maxima concessa sunt pro Missa quæ, juxta expressum Ritualis Romani votum,

pro Defuncto celebratur, præsentem ejus corpore ; et paucæ tantum ob stare valent causæ, quominus Missa hujusmodi de *Requiem* celebretur.

Q. 334. *Indica generatim quænam ob stare possint, quominus præsentem cadavere, Missa exsequialis de Requiem celebretur.*

R. Rituale dicit : Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro Defunctis præsentem corpore celebrari poterit ; dum tamen Conventualis Missa, et Officia divina non impediuntur, magna que diei celebritas non obstat. » (Tit. VI, Cap. I, n. 5.) Unde ob stare possunt :

1° Magna diei celebritas, de qua speciatim dicitur in Quæstione sequenti ;

2° Missa Conventualis (cfr. Q. 9), ubi obligat ;

3° Missa Parochialis (cfr. QQ. 10, 11) ; ita ut in Ecclesiis Parochialibus, in quibus una tantum Missa celebratur, in diebus Dominicis, et Festivis, etiam pro foro abrogatis, quibus Parocho onus Missæ pro populo celebrandæ incumbit, Missa Parochialis celebrari, et Missa exsequialis ad diem proximum non impeditum transferri debeat, nisi alius Sacerdos ad cantandam Missam de *Requiem* vocari possit ;

4° Officia divina ; ex. gr., in diebus S. Marci, et Rogationum, ac in Vigilia Pentecostes ; si in Parochia, in qua præter Parochum nullus est alius Sacerdos, faciendæ sit sepultura quæ anticipari vel differri non possit, non potest omitti functio diei, neque potest Missa hujus functionis pro sepultura celebrari, sed faciendæ est sepultura sine Missa defunctorum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 3 Julii 1869, n. 3208, antiq. 5439.)

Q. 335. *Indica dies in quibus Missa exsequialis, præsentem corpore, prohibetur ob magnam eorum celebritatem.*

R. Generalem Ritualis notam **magnæ dierum celebritatis**, plurimis Decretis S. Rituum Congregatio optime determinavit, ita ut sequentes indicari possint hujusmodi dies, in quibus non permittitur Missam exsequialem, præsentem Defuncti corpore, de *Requiem* celebrare :

1° Triduum sacrum Majoris Hebdomadæ, scilicet, Feria V in Cœna Domini, Feria VI in Parasceve, et Sabbatum sanctum.

2° Festa duplicia 1 classis quæ in nostra Diœcesi festivantur, seu quæ sunt de præcepto pro populo : scilicet Festa ; Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, Ascensionis Domini, Assumptionis B. Mariæ V., et Omnium Sanctorum.

3° Festa duplicia 1 classis sequentia, etiamsi in nostra Diœcesi non sint de præcepto : Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, Annuntiationis B. Mariæ V., Immaculatæ Conceptionis B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, et Titularis cujusque Ecclesiæ.

NOTA. Ad postulatum ut S. Rituum Congregatio discernere velit, quod Missa exsequialis, præsentem cadavere, cani potest etiam in hujusmodi Festis, quando incidunt in dies infra hebdomadas et celebrantur sine concursu populi, S. Congregatio rescripsit : « Non expedire. » (Decret. 16 Novembris 1898, n. 4003, Q. I, ad 3.)

4° Dominicæ in quibus transferuntur Solemnitates quatuor sequentium Festorum, quæ etiam sunt duplicia 1 classis, scilicet : Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et S. Patroni principalis cujusque loci. (De hac translata in Dominicam Solemnitate dictum fuit QQ. 268, 269.)

NOTA. Non semel declaravit S. Rituum Congregatio, prohiberi Missam exsequialem de *Requiem*, præsentem corpore Defuncti, in his ipsis quatuor Festis, necnon in Dominicis, in quibus transfertur eorum Solemnitas. Sed per recentiora Decreta, ipsa Congregatio disciplinam hac super re mutavit ; rescripsit enim prohibitionem celebrandi Missam de *Requiem* exsequialem, præsentem corpore, non subsistere, die quo celebratur Officium Festi cujus Solemnitas transfertur. Itaque anteriora Decreta sua vi desituuntur, et remanet tantum prohibitio hujusmodi Missæ exsequialis de *Requiem*, præsentem corpore, in Dominicis, in quibus transfertur horum quatuor Festorum Solemnitas. (Cfr. Decreta 6 Martii 1896, n. 3890, ad I, 1 ; et 16 Novembris 1898, ad I, 1.)

5° Dies quibus in aliqua Ecclesia expositum est SS. Sacramentum solemniter, seu ob publicam causam ; exempli gratia, Adorationis perpetuæ, Orationis XL Horarum ; sed Missa exsequialis de *Requiem* prohibetur tempore Expositionis tantum.

NOTA. 1^o Ex indicatione dierum, Quæstionibus 334 et 335 proposita, patet, paucos esse per annum dies, in quibus, præsentem Defuncti corpore, Missa de *Requiem* non possit celebrari; et revera Ecclesiam in votis maxime habere, ut quantum fieri potest, hæc Missa dicatur. Quod ut manifeste constet, indicantur sequentes per annum dies, alias maxime ob dignitatem vel necessitatem privilegiati, in quibus tamen, præsentem corpore, Missa de *Requiem* exsequialis celebrari potest:

Dominicæ omnes, etiã majores, imo sequentes 1 classis: I Adventus, I Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, in Albis, et SS. Trinitatis. Excipe casum Missæ Parochialis, Quæstione 334 sub 3^o exceptum.

Feriæ privilegiatæ, nempe IV Cinerum, et II, III, ac IV Majoris Hebdomadæ.

Vigiliæ majores Nativitatis Domini, et Epiphaniæ; insuper Vigilia Pentecostes, sed cum exceptione Quæstione 334 sub 4^o posita.

Octavæ omnes, etiã privilegiatæ.

Festa duplicia 2 classis omnia; imo sequentia Duplicia 1 classis: Feriæ II et III Paschatis; Feriæ II et III Pentecostes; Festum SS. Cordis D. N. J. C.; Festum Patrocini S. Joseph (in Diœcesi Mechliniensi duplex 1 classis); Festum Diœcesis proprium S. Rumoldi (etiã in civitate Mechliniensi, et iis pagis quorum est præcipuus Patronus).

2^o Etiãsi in Dominicis per se licita sit Missa de *Requiem* exsequialis, excepto casu Missæ Parochialis, ut supra Quæstione 334 sub 3^o dictum fuit, tamen quantum fieri potest, vitare oportet exsequias solemnes his diebus, præsertim si iis impedirentur conciones, instructiones catechisticæ, aliaque officia peragi solita, quæ non possunt sine detrimento omitti.

§ 2 De Missa exsequiali, corpore defuncti non præsentem

Q. 336. *Indica causas quasdam, ob quas admittitur celebrare Missam exsequialem de Requiem privilegiatam, etiãsi corpus Defuncti non sit præsens.*

R. Ex præcedentibus responsis abunde patet, votum Ecclesiæ esse, ut, præsentem corpore Defuncti, Missa exsequialis de *Requiem* pro ipso celebretur; et, si quam maxime privilegiata est hæc Missa de *Requiem*, adeo ut paucissimi tantum sint per annum dies in quibus ipsam celebrare non licet, id ea conditione concessum, quod corpus Defuncti sit præsens in Ecclesia, dum Missa pro ipso celebratur.

Ast occurrere possunt causæ, et circumstantiæ, in quibus hæc corporis Defuncti delatio ad Ecclesiam, aut

saltem præsentia in Ecclesia quo tempore Missa exsequialis celebratur, jam fit impossibilis.

Causæ hujusmodi recenseri possunt sequentes:

1^o In quibusdam regionibus exstat civile vetitum, seu interdictum civilis potestatis, ne defunctorum corpora ad Ecclesiam deferantur. (Apud nos tale vetitum non exstat, et plena libertas datur.)

2^o Aliquando ob grassantem morbum contagiosum, ex prudentia ne vulgetur, statuitur defunctorum corpora non posse ad Ecclesiam deferri.

3^o Ex variis diebus, qui in responso ad Quæstionem 335 enumerantur, prohibentibus Missam exsequialem de *Requiem* præsentem corpore, quidam sunt qui plures sibi succedunt; per quos dies potest quidem Defuncti corpus deferri ad Ecclesiam, potestque super eo ritus Absolutionis et sepulturæ perfici sub quibusdam conditionibus, sed absque Missa exsequiali; tales sunt, ex gr., Triduum sacrum Majoris Hebdomadæ cum Festo Paschatis; Oratio XL Horarum, seu solemniss. Sacramenti per tres continuos dies non interrupta Expositio; potest enim aliquis mori vel Feria III aut IV in Majori Hebdomada, aut pridie solemniss. Expositionis, et Defuncti corpus non potest remanere inhumatum, usque dum omnes hujusmodi dies præterierint; est itaque hæc tertia causa celebritas dierum.

Pia Mater Ecclesia, sollicita de auxilio defunctis præstando per ipsam Missam exsequialem de *Requiem* in talibus circumstantiis, et occurrentibus talibus causis, benigne quod potest indulget, ut eodem tempore quidem, aut quamprimum, absente Defuncti corpore, præstari valeat, quod ex hisce causis fieri præsentem corpore non licuit; ut ex sequentibus patebit.

Q. 337. *Quid statutum fuit pro Missa exsequiali de Requiem, quando corpus Defuncti non potest deferri ad Ecclesiam, ratione vetiti civilis, vel morbi contagiosi?*

R. Ad dubium: « Quibusnam diebus permittitur Missa de *Requiem* insepulto cadavere, sed absente ob civile vetitum vel ob morbum contagiosum? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum

insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censi potest ac si foret physice præsens, ita ut Missa exsequialis in casu cantari licite valeat quoties præsente cadavere permittitur. » (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 26.) Ita rescripsit S. Congregatio juxta Decretum generale super Missa exsequiali pro die obitus, quo decrevit : « Quod si ex civili vetito, aut morbo contagioso, aut alia gravi causa, cadaver in Ecclesia præsens esse nequeat, imo etsi jam terræ mandatum fuerit, præfata Missa celebrari quoque poterit in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo ac si cadaver esset præsens. » (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3755, ad II, publicatum tantum anno 1900.)

Maximum jam est privilegium in his duobus casibus absentiae cadaveris, nempe vetiti civilis aut morbi contagiosi, concessum ; censetur enim « moraliter præsens » in Ecclesia cadaver. (Decret. 12 Januarii 1897, n. 3944, ad 3.) — Potest itaque licite celebrari Missa exsequialis de *Requiem*, æque ac si præsens esset in Ecclesia Defuncti corpus, iisdemque diebus, eodemque omnino modo ; idque vel si insepultum adhuc est cadaver, vel si jam fuit sepultum ; imo (modo recte intelligatur Decretorum sensus, super quo vide infra Notam I), si cadaver jam fuit sepultum, perdurat nihilominus hoc privilegium per duos dies immediate sequentes post factam sepulturam, sed non ultra ; datur in casu quasi quædam extensio temporis privilegiati in favorem Defuncti.

EXEMPLUM : Moritur aliquis fidelis ex morbo contagioso, et prudentiæ causa non licet Defuncti corpus deferre ad Ecclesiam ; sed corpus defertur statim ad cœmeterium, ubi qua decet religione servatur in loco decenti per aliquod tempus insepultum ; fieri tunc potest in Ecclesia funus cum Missa exsequiali de *Requiem*, omnino et cum iisdem privilegiis, iisdemque diebus, ac si præsens esset in Ecclesia. Idque fieri potest, sive in uno die ex intermediis a morte usque ad sepulturam ; sive in ipso die sepulturæ ; imo sive in uno ex duobus diebus post factam sepulturam immediate sequentibus.

Missa exsequialis de *Requiem* in hoc casu assimilatur Missæ celebratæ in conditionibus ordinariis præsentiae

cadaveris, et in Decretis dicitur celebrata *pro die Obitus*, sicuti hæc dicitur celebrata *in die Obitus*.

NOTA. I. Plures interpretes intelligunt « biduum ab obitu » tamquam biduum a depositione seu sepultura ; juxta quod dicit Rubrica Missalis reformata (Tit. V, n. 2) : « insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere », quibus verbis ægre alius sensus tribui posse videtur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 279, 547, 678 ; et Collationes Brugenses, VI, 1901, pag. 667.)

Attamen non desunt interpretes qui « biduum ab obitu » stricte intelligunt a morte, ita ut cadaver censi possit moraliter præsens intra et non ultra biduum a mortis die ; et sicut generaliter funus alicujus defuncti instituitur, præsente ejus cadavere in Ecclesia, in biduo ab ejus morte seu decessu, similiter eodem temporis, nempe bidui spatio funus institui potest pro defuncto cujus cadaver ad Ecclesiam deferri nequit, et quod jam censebitur moraliter præsens. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 675.)

In responso ad Quæstionem præsentem supra dato suppositus fuit uti verus sensus bidui a sepultura, qui sensus communiter intelligitur in Urbe, ubi secundum talem intelligentiam dirigitur praxis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 678.) Idem et non alius sensus pluries expositus fuit in dissertationibus Academiæ Liturgicæ Romanæ. (Ibidem, pag. 279, 547.)

Quod si S. Rituum Congregatio intendat biduum a morte, et non a sepultura, expungenda est, tam in responso quam in exemplo, extensio privilegii usque ad duos dies post factam sepulturam.

NOTA. II. Celebratur hæc Missa exsequialis de *Requiem*, cum Absolutione, et omnibus precibus, quæ in die Depositionis, corpore præsente, fieri et recitari solent. — S. Rituum Congregatio, in Decreto 22 Martii 1862 (n. 3112, antiq. n. 5320, ad 1), in quo agitur de casu absentiae corporis ob vetitum civile, notat apponendum in casu esse in Ecclesia lodicis, seu panni nigri signum, ab eo diversum quod in Anniversariis adhibetur ; ut fideles intelligant, Missam in casu offerri in expiationem animæ illius Defuncti, cujus corpus

traditum terræ adhuc non fuit, et Ecclesiæ precibus etiam proprias adjungant.

NOTA. III. Quam alieni sint a mente Ecclesiæ jam patet, qui, piissimo et antiquissimo instituto relicto, ultimoque hoc fortissimo Sacrificii Missæ subsidio animas privantes, intendunt sepulturas differre ad tempus pomeridianum, more acatholicorum : in quibusdam civitatibus enim invalescit praxis deducendi corpus ad Ecclesiam tempore pomeridiano, et facta Absolutione, deferendi ad cœmeterium. Qui hanc praxim fovent laici, plerumque hostili erga Ecclesiam et clerum mente ducuntur. Parochorum est, summo niti studio, ut antiquissima instituta serventur atque retineantur. Quod si in casu postea petitur ut celebretur pro Defuncto Missa, dubitandum videtur, an hæc possit esse privilegiata ; nam dicendum est privilegia de quibus quæstio, concessa esse ob causas graves, et rationabiles, qualis non est ea quæ ponitur ex affectu qui inhonestus est.

Q. 338. *Quid conceditur pro casu quo corpus sepelitur absque Missa exsequiali de Requiem, eo quod sepultura fiat in die qui hanc Missam præsentem corpore prohibet ?*

R. I. In hoc casu, nempe celebritatis dierum, conceditur quod, sepulto jam ob hanc causam absque Missa exsequiali corpore, eadem Missa exsequialis de *Requiem* eodem omnino modo, sine variatione, sicut in die Depositionis potest celebrari in primo die sequenti qui non est impeditus. Potest itaque fieri in casu aliqua translatio Missæ exsequialis de *Requiem*.

Privilegium hujusce Missæ aliquantum magis restrictum est in hoc casu quam in præcedenti, in quo dies Depositionis potest produci, extendi usque ad biduum post sepulturam ; nam plures jam sunt dies impediti, qui non admittunt Missam exsequialem translata.

Etenim, eam Missam exsequialem de *Requiem* translata non admittunt :

- 1° omnes Dominicæ per annum ;
- 2° omnia Festa duplicia, tum 1 tum 2 classis, et Festa de præcepto.

NOTA. I. Hæc sunt verba Decreti S. Rituum Con-

gregationis : « Denique eadem Missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum, vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium, die quæ prima occurrat, non impedita a Festo duplici primæ et secundæ classis, vel a Festo de præcepto : quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus. » (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3755, ad III.)

NOTA. II. Bene notandum est, privilegium translationis Missæ exsequialis de *Requiem* concedi tantum pro primo die sequenti non impedito, et non ultra : nam si hoc primo die sequenti funus non celebratur, quicumque ex causa, cessat omne privilegium translationis, et ultra Missa de *Requiem* non amplius potest celebrari, nisi in conditionibus Missæ quotidianæ de *Requiem*, aut Missæ ex alio titulo privilegiatæ.

NOTA. III. Verba Decreti : « pro prima tantum vice » significant : quando nulla Missa exsequialis celebrata fuit ; et addita fuerunt ad præcavendam iterationem, ne scilicet quis autumet, facta sepultura cum Missa exsequiali, iterum posse aliam cum privilegio celebrari Missam primo die sequenti non impedito.

NOTA. IV. Dicitur quod in casu præsentem translata Missam de *Requiem* exsequialem non admittunt Festa « de præcepto ». Quæ sint hæc Festa dictum fuit Q. 11 ; omnia Festa de præcepto jam continentur in denominatione Festorum duplicium 1 vel 2 classis, unico excepto, nempe Festo S. Silvestri, 31 Decembris, quod ritus duplicis minoris tantum est.

Permittitur ergo in casu præsentem, sepulto jam corpore, Missa exsequialis de *Requiem*, ut in die Obitus, seu Depositionis :

1° in omnibus Festis duplicibus majoribus et minoribus (excepto Festo duplici minori S. Silvestri, Episcopi et Confessoris, 31 Decembris, de quo dicitur supra in Nota IV) ;

2° in Feriis privilegiatis, nempe IV Cinerum, et II, III, ac IV Majoris Hebdomadæ ;

3° in Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ ; et insuper in Vigilia Pentecostes, sed cum exceptione in Quæstione 334 sub 4° posita ;

4° infra Octavas omnes etiam privilegiatas.

EXEMPLA : 1. Supponitur quod Cajus, defunctus Feria IV Majoris Hebdomadæ, sepeliatur Feria VI in Parasceve, quo die prohibetur Missa exsequialis de *Requiem* ; primus dies sequens in quo poterit, sepulto Caji corpore, celebrari Missa exsequialis

de *Requiem*, omnino eodem modo, et cum Orationibus ut in die Depositionis, est Feria IV infra Octavam privilegiatam Paschatis.

2. Supponitur quod Defunctus aliquis sepeliatur Dominica in Quinquagesima, in qua Missa exsequialis de *Requiem* non potuit celebrari, ratione solemnium Expositionis SS. Sacramenti non interruptæ per tres continuos dies, quorum ultimus est sequens Feria III; primus dies sequens in quo potest, sepulto corpore, Missa exsequialis de *Requiem* celebrari ut in die Depositionis, est Feria IV Cinerum.

Quod si in utroque casu, in isto primo die post impedimentum pro Missa exsequiali præsentem corpore existens, Missa exsequialis de *Requiem*, corpore jam sepulto, non celebretur, cessat omne privilegium; Missa de *Requiem* non poterit celebrari nisi in aliquo die quo ejus celebratio permittitur aliunde, seu ex alio titulo. Et celebratio hujusmodi non omnino fieri poterit ut in die Obitus, seu Depositionis: nam Oratio propria pro exsequiis, uti reperitur in secunda ex quatuor Missis de *Requiem*, debet omitti, ut dicatur vel Oratio *Inclina*, pro uno Defuncto, vel Oratio *Quæsumus*, pro una Defuncta (cfr. Q. 321); nisi forsitan esset dies tertius, aut septimus, aut trigesimus post Depositionem, quia tunc diceretur Oratio his diebus propria.

II. Per Decretum S. Rituum Congregationis, 2 Decembris 1891 (n. 3755, ad II), conceditur privilegium celebrationis Missæ exsequialis, absente cadavere, in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo ac si cadaver esset præsens, non solum ex duabus causis civilis vetiti, aut morbi contagiosi, de quibus dictum fuit in Quæstione 337, sed etiam ex « alia gravi causa. » (Cfr. textus Decreti ad Q. 337.)

Quænam sit gravis causa præter duas allatas non ita clare patet; sed quidam Decreti interpretes censent inter causas graves haberi posse impedimentum Liturgicum celebritatis dierum, de quo in præsentem Quæstione agitur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 166; et Collationes Brugenses, VI, 1901, pag. 668, 669.)

Unde concludunt quod, si causa celebritatis dierum cadaver non potuerit cum Missa exsequiali sepeliri, etiam si jam terræ mandatum fuerit, Missam exsequialem absente cadavere celebrare licet in altero ex immediate sequentibus liberis diebus ab obitu seu depotione, eodem modo ac si cadaver esset præsens; ergo

etiam in illis Festis duplicibus 1 classis in quibus Missa exsequialis præsentem cadavere permittitur.

EXEMPLUM: Titius defunctus Feria V in Cœna Domini sepelitur Sabbato Sancto absque Missa exsequiali, quæ hoc die prohibetur: poterit Missa exsequialis de *Requiem* absente cadavere celebrari Feria II Paschatis, quæ in casu est intra biduum a sepultura.

Si jam ita se res habet, exprimere liceret votum ut provideatur sequenti anomaliam: Cajus qui defunctus est Feria IV majoris Hebdomadæ, et non potuit sepeliri nisi Feria VI in Parasceve, absque Missa, debet expectare usque ad Feriam IV Paschatis, quæ est primus dies non impeditus post sepulturam, pro Missa exsequiali de *Requiem*; sed Titius, qui defunctus est Feria V in Cœna Domini, et sepultus fuit Sabbato Sancto, poterit habere funus cum Missa exsequiali de *Requiem* in Feria II Paschatis. Vere primus defunctus Cajus fit novissimus, et Titius novissimus fit primus; et nullum tamen distinctionis inter utrumque habetur motivum, nisi quod conveniat prius juvare Cajum qui prior, ratione temporis, juvamine indiget.

Autumare licet quod in casu familiares Caji non facile intelligerent aut admitterent præferentiam duorum dierum Titio datam.

§ 3. De solemnitate Missæ exsequialis

Q. 339. Qualis debet esse Missa exsequialis, ut possit cum privilegiis celebrari?

R. Missa exsequialis de *Requiem*, ut possit cum privilegiis celebrari, debet esse sollemnis, scilicet celebrata cum Ministris sacris Diacono et Subdiacono, thure et cantu; vel saltem esse cantata. Missa autem exsequialis privata, seu lecta, de *Requiem* dici non potest, etiam corpore præsentem, diebus quibus fit de Officio duplici, vel aliis qui excludunt Missas de *Requiem* quotidianas.

Q. 340. Quænam exceptio ad hanc regulam de solemnitate Missæ exsequialis conceditur in favorem pauperum?

R. « Instantibus aliquibus Parochis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium propositum fuit: An pro paupere defuncto, cujus familia impar est solvendi expensas Missæ exsequialis cum cantu, hæc Missa legi possit sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus præfata Missa cum cantu conceditur? Et Sacra